



BIBLIOTEKA
Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII

5.366





8. 23. 143

EPIGRAMMATA

Patris

F. B E N E D I C T I
S P R V S Z Y N S K I,
Ord: Min: Con: S. FRANCISCI
Prouinciæ Ruffiæ, & Lithuaniaë.

Admodum Reuerendo Patri,

P. MARIANO KORYBSKI,
Sacrae Theologiae Licentiato, Eiusdem Ord:
& Prouinciæ Diffinitori Perpetuo,

D E D I C A T A.



Z A M O S C I I,

*Ex Typographia Academica. Imprimebat
Simon Prątkiewicz. Anno Dñi. 1677.*

EMIGRAMMATA
Et iuuat è tetricis Stagyritæ La-
byrinthis

Egressum, mediocri aura, leniq;
foueri.

Jul: Cæs: Scal:



XVII-5366-III

Religiosissimo Patri.

F. M A R I A N O

K O R Y B S K I.

Author S. D.

IN Tuam hanc meam lucubratiunculam, ca-
terum quocunq; locorum spatio per horas sue-
cisuas natam, libens depono Sinum Pater Reli-
giosissime. Nec est cur propositi mei rationem
dissimulem? Sane postulat hoc à me debita mea
erga Te Observantia, ut ab illo, mutuo cultu ha-
bearis, quem bis Provinciale, binò Tuo Secre-
tariatu impensè colueras. Postulat hoc magna
inter Nos Animorum Coniunctio, eaq; tanta,

*ut Omnia & dicantur & habeantur inter Nos
ad Conuertentiam.*

Vnus enim Nobis Animus, nec bina voluntas,

Vnus & in bino Corpore Sensus inest;

Par binis Dolor, & par oblectatio binis,

Vnaq; (sic fatear) vita duobus inest.

Porro cum sic Vnum simus, hanc etiam indiso-
ciabiliter accipe Partem. Vale Religiosissime
Pater, & faue.



Dedicatio Libelli
Adm. R. P. MARIANO
K O R Y B S K I.

Sic MARIANE Tibi se dedicat iste Libellus,
Ut Proprium quarto dicitur esse modo,

Ad Eundem.

Carbasa non chartas dici mea Carmina vellem
Ad Te KORYBSKI, si dare vela iubes.
Vela dabo lætus, promptus mihi tu dabis auram,
Prouchar vt citius, Carmina comminuum,

Ad Libellum,

Quorsum parue puer properas, vix Nate libelle?
Fonte sacro tingi Frons tua forte cupit?
Vade Puer quò vis, & Nomina quære, sed audi
Me tibi suadentem: Nomina magna fuge.

A

Nollem

Nollem Myrmidonum minimá de gente voceris,
Nec nomen Prasini Purpurionis habe.
KORYBIVM pete festinus Fratremq; Patremq;
Hic tibi si dicet: Care; libelle fatis.

Author de sua Professione Minoritica.

Editus in lucem paruus, Minor Ordine factus,
Post mortem fiam nonnisi iam minimus.

De sua Paupertate Religiosa.

Cresus quærat Opes, alius conquirat honores,
Omnia contemnens Relligiosus habet,

De Castitate Religiosa.

Cæcus Amor, nudus, paruus, pharetratus, & alis
Instructus, quid vult? scire meum nihil est.

De Obedientia Religiosa.

Sic volo, sic voueo, stat pro ratione voluntas
Non mea, sed qui me Cuncta iubere potest.

Similis

Similis simili gaudet.

Promittit Deus Omnia Mundis. Omnia mundus
Immundis. bene vult quisq; sibi simili.

Deus, & Peccator.

Nulla Deus viuunt sine Te viuentia; solus
Peccator viuuit Te sine, nec sine Te.

Peccator ad Iesum.

Vt tibi dulce facit IESV. meus esse Redemptor,
Dici Peccator, sic mihi dulce facit.

Sol Iustitiæ Christus mortuus.

Sol cadit, & Iustus, sed Iustus tempore eodem
Sole cadente semel, terq; quaterq; cadit.
Absq; suo casu quis stabit? Iustitiæ Sol.
Fleuimus & Solem hunc ah cecidisse semel!

Christus Spinis Coronatus.

Crudeles Spinæ circumdant Tempora Christi,
Tempora fidereis condecoranda Rosis.

O Mores Hominū? si tot dant Tempora Christi
Spinas? quot Spinas tempora vestra dabunt?

Non agnoscitur Bonum, nisi
amissum.

Amittendo Bonū cognoscimus. At mihi nunquā
Amittendo Bonus cognitus esto Deus.

Calix Christi.

Fecundi Calices quem non fecere disertum?
Quem non elinguem reddidit iste Calix?

Mors Christi & Iudæ perditio.

Sanguine profuso moreris Supreme Magister,
Visceribus fufis Discipulus moritur.


Morte Tuā sunt Peccatores Christe redempti,
Se Peccatorem perdidit ille suā.

Christus in Cruce sitiens.

Christus ait sitio. Ille sitiuit Mortis in Hora,
Plus sitiunt qui horam Mortis ad vsq; bibunt.

CruX

Cruce Christi.



In Cruce nil ageret si non me Christus amaret,
Sic amat: vt maius nil habeat quod agat.

Quatuor Partes Crucis.

Et quatuor partes Crucis, & sunt quattuor Orbis,
Per totum Orbem, non viuitur absq; Cruce:

Cruce Generis Communis.

Communis generis potius Cruce debuit esse,
Aequé dum patitur sexus vterq; Crucem.

Imò nullius generis Crux debuit esse,
Si non peccasset Sexus vterq; simul.

Scientia Dei.

Omnia scire Dei; Nihil est eius quoq; Scire,
Nam me Cuncta sciens, scit quoq; scire nihil.

Mensa Christi Domini.

Ad Mensam Christi discumbere quis vetat? aude.
Istius Mensæ non toleranda fames.

Indignè manducanti Corpus D.

Væ qui mente reâ Cænas de Pane Sacrato,
Pocula canoso de Phlegetonte bibes.

Via Cœlestis.

Arcta via est Cœli, parui efficiamur oportet.
Alta quoq; est, opus est ire per Alta Crucis.

Agnus Dei.

Agnum pasce Dei, similes si paueris Agnos;
Quam pulchrâ dignus iure Rachele fores?

Christus Medius inter Latrones.

De Extremis Medium si debet participare?
Extrema à IESV participare decet.

Ecce Agnus Dei.

Currite Pastores, hunc Agnum quærite; nunquã
In Grege nam Vestro tam fuit egregius.

IESVS ET MARIA.

Quisquis amat IESVM, sed nescit amare MARIAM;
Infelix nescit quid sit amare DEVM.

In Latronem Dextrum.

Dextrè prædantur multi de nocte Latrones;
Ex multis vnus non nisi dexter erat.

In Latronem Sinistrum.

A Christi

A Christi Latro suspensus parte sinistra
Ausus pro Christi parte Sinistra loqui.

De suis Carminibus.

Composui ieiuna libens fateor mea Metra,
Non omnes Vates ebria Musa decet.

Zoilo triginta Disticha contemnti.

Sic terdena mihi mea Disticha reddis, vt ille
Qui totidem Nummos reddidit, & crepuit.

Quod scripsi, scripsi,

Ioannis. 19.

Quod scripsit, scripsit de nostro Rege Pilatus
Non malè, se melior Iudice Scriba fuit.

Cognouit Bos Possessorem suum.

Isaia. 1.

Bos, Asinusq; Deum cognoscunt, necq; fruuntur;
Dic an Cognitio sola beatificat?

Omnia

Omnia traham ad me.

Ioannis. 12.

Quod magis est dignū, dignū minus attrahit ad se
Sum magis indignus, me Deus ergo trahe.

Iam Hyems transijt, Imber abiit,
Surge Amica mea, & veni.

Canticorum. 2.

Surge cui transiuit Hyems, transiuit & Imber,
Et non expecta Fulmina, surge, veni.

Solutus es ab Vxore, noli quærere
Vxorem.

Corinthiorum. 7.

Vxorem si ducis adhuc, Vxore solutus?
(Auertant Superi) bis maledictus eris.

Alligatus es Vxori. *Ibidem.*

Ni Vir, ni Mulier, sint Vno Corde ligati,
Et centum Chordis nemo ligabit eos.

B

Petite



Petite, & accipietis.

Ioannis. 16.

Non peto vt accipiā, Paupertas Chrifte probatur
Plus mihi Diuitijs. sed peto vt accipiar.

Amor omnia sustinet.

Corinthiorum. 13.

Omnia vincit Amans, ac omnia sustinet idem,
O si tam felix esset vt abstineat ?

Diligite inimicos vestros.

Matthæi. 5.

Quamuis diligitur fictè sincerus Amicus,
Non tamen vt verè diligar Hostis ero.

Vnusquisq; tollat Crucem &
sequatur me.

Ferre Crucē non vis? quia non est aurea. Stulte
Auro quid grauius? quid Cruce vis leuius?
Absq; tamen si vis post Christum currere lapsu,
Fac partem præ te Pæuper, inopsq; ferat.

Venite

Venite ad me omnes.

Expectas ad Te veniam si Christe? meorum
Tu Peccatorum da veniam, veniam!

Non potest bona Arbor malos
fructus facere.

Matthai 7.

Siue sit inuersa Arbor, rectaue, fructificabit
Si bona, Mala bona, & si mala Mala mala.

Domine, ecce duo gladij, at ille
dixit eis: Satis est.

Luca 22.

Nihil opus est gladijs, modo sit præsentia Christi,
Absens si fuerit, nil opus est gladijs.

Flores apparuerunt in terra nostra.

Canticorum. 2.

In terra nostra fiunt tantummodo Flores,
Et Folia, at Fructus dat Deus omnipotens.

Ad Vesperum demorabitur fletus,
& ad Matutinum lætitia.

Psalmo 26.

Gaudia prætereunt, succedunt tristia, rursus
Gaudia succedunt, tristia prætereunt,
Hic Mundi mos est, hæc Mundi norma: vocari
Nunc ad lætitiam, postmodo tristitiam.

Væ Soli. *Eccl: 4.*

Discipuli fugiunt, es captus Solus IESV;
Væ Soli, qui Te tradere non timuit.

Auerte Oculos meos, ne videant
vanitatem.

Psalmo 118.

Et vidisse nocet, nocet & voluisse videre,
Nil videam, tantum, ne peream, videam.

Filiæ Hierusalem nolite flere.

Luca 23.

Flere

Flere vetat supra se Saluator flere volentes.
Pergite Mortales flere quousq; vetet.

MARIA Mater DEI.

Digna MARIA Deo Mater, sine Patre Marito;
Nullus erit dignus sed sine Matre Deo.

Maria Mater Diuinæ Gratiaë.

Quem non Mater amas, illū non Natus amabit,
Non Pater hoc faciet, non Amor vllus amat.

Maria Refugium Peccatorum.

Est fuga quæ facit vna reos, facit altera saluos.
Ille Dei Matrem dum fugit, alter adit.

Maria Salus Infirmorum.

Cara Salus, sed me iuuat infirmârier vltro,
Vt mea dicatur Virgo Maria Salus.

Sancta Anna.

Virginis ò Mater Diuino digna Nepote,
Dicere non possum Te sine Matre Dei.

Stigmata S. Francisci.

Vulnera sunt fateor Francisco, qui dedit illa,
In Cœlo nullus Sanctior Hostis erat.

Sancta Clara in Vmbria nata.

Portentum Natura facit, parit Vmbria Claram,
Tunc Claram pariens Vmbria clara fuit.

Item.

Quando Dies iræ veniet succensa furore,
Quas mihi tunc vmbas Vmbria conficies?
Sed scio sæpe suæ etiam Lux proijcit vmbas,
Proijce Clara tuas, Vmbria nolo tuas.

S. Antonio de Padua.

Christiferas dum cerno Manus, dum Lilia specto,
Antoni, quid te plus Paradisus habet?

Maria

Maria Porta lucis fulgida.

O cæcos Homines? ò mentis Lumine captos?
Qui Portam lucis prætereunt facile.

S. Ignatio Loyolæ Fund: S. I.

Ignis es Ignati Cœlo demissus ab alto,
Ardeat ut rotus Mundus ab igne tuo.
Si meus est dignus flammis ardere Libellus,
Non alio felix ardeat Igne tuo,

S. Leo Papa.

Hoc differt Pastor Lupus à Pastore Leone,
Ille rapax Ouibus pascitur, iste Lupis.

S. Gregorius Eccles: Doctor plura scripsit infirmus.

Plura Gregorius Scripsit languore laborans,
Partum languores accelerare solent,

Cœlum & Terra transibunt.

Omnia

Omnia transibunt, vbi me vis Christe manere?
In Te ni maneam malo perire simul.

Quod est Maximum Desertum?

Immensus Deus est: & si tu deseris illum?
Ecquod Desertum dic mihi maius erit?

S. Stanislaus Episcopus Crac: à Boleslao Rege cognomento Audace
occisus in Ecclesia.

Visceribus Matris detentum Filius Audax
Occidit Patrem, quid Nero plus faceret?

Alexandro VII. Pont: M.

Vnus Alexandros omnes superavit in Orbe,
Septimus est numero, Proximus ille Deo.

Votum pro Augustissima Domo
Austriaca.

Vltimus Austriaco veniat de Sanguine Cæsar
Tunc, cum Natus Homo veniet sine sanguine
vivi.

Ioannes

Ioannes Casimirus Rex Poloniae.

Me Deus Omnipotens per tot discrimina rerum

Inuictum fecit; Rex Casimirus ait.

Ilicet ergo tuam Fortunam Carole tenta,

Inuictum si vis Vincere? Vince Deum.

Carolo Gustavo Regi Sueciae eun- ti in Poloniam & redeunti.

Vincere num sit idē ac inuadere Regna Polonis?

Quid frustra quaris Carole? Vade, Vide.

Et Veni, & Vidi, & me iam vicisse putabam,

Nobilius Vicit Zeuxida Parrhasius.

Carolus Gustauus Mari, Terraq; Victus.

Hercules inuictus Terraq; Mariq; Columnas

Fertur victrices imposuisse mari,

Carolus infaustus deuictus vbiq;. Columnas

Dicetur tandem quo posuisse loco?

Ioanni Casimiro Regi Poloniae
sine Prole Regnanti.

Regibus Antiquis non es Casimire secundus,
Illi Natorum, tu Pater es Patriae.

Ad Illustrissimos Dominos.

Parcite nunc nimio Splendori parcite vestro,
Ut posthac melius splendeat in tenebris.

Regibus.

Rex regnat sine Rege, sua regitur sine lege,
Sicq; Deo similis, si bene regnet erit.

Principes.

Principijs obsta, fuerint haec si mala. cede
Principibus, fiant me mala Principia.

Aulica vita, splendida miseria.

Ignis habet fumum cum sit tam splendidus? Aula
Qui fieri poterit splendida, nec misera?

Dux Caput Militiæ.

Vnum Militibus Caput est Dux omnibus, omnes
Hoc Caput vt caueant frontibus anteferant.

Militi.

Mille vides Hostes? quærisq; quid expedit ergo?
Expedi hos manibus vincere non pedibus.

Militiæ Definitio.

Si quis Militiam vult definire malorum,
Sic faciat: primum Iota per Alpha notet.

Bellum.

Dicitur haud bellâ Bellum bellum sinè causa,
In bello bella non nisi morte cadunt.

In Luciferum de Cœlo lapsum.

Lucifer è Cœlo cecidit, conscendere nec vult,
Nam grauius misero bis cecidisse foret.

In Neronem Matricidam.

Viscera num fuerint non possum scire Neroni?
Quod fuerint Matri teste Nerone scio.

Historia de Pharaone.

Ingressus Mare Rex Pharaon, submersus eodem,
Pocula pro Moyſi plena Salute bibit.

Magnatum Familiaritas vitanda.

Si Sapis, à longe Dominos comitare, laborant
Hi Chiragrà, sed tu ne patiâre Phtisim.

In Neronem, sub quo Passus est S. Petrus Apostolus.

Proficis haud quidquam Petrâ versando beatam,
Cum magè sis aptus Sisyphæo lapidi.

In Iouem Specie Bouis.

Nescio qualis Amor fecit mugire Tonantem,
Hoc Lanio facias ab Ioue principium.

Vesperæ

Vesperæ apud D. D.

Ex Psal: 109.

Ad Dominū Domini venient, veniēdo sedebunt,
De torrente bibent, inficientq; Caput.

Proprietas Hominis.

Est Homini Soli Proprium ridere. Venire
A risu ad fletum, sed magis est Proprium.

In Moriam Erasmi.

Stultitiam laudas aliorum Erasme? tuam sed
Quare non laudas? hoc facient alij.

In Pseudo -- Religiosum.

Post tres Nocturnos ad Laudes itur. Honores,
Non Laudes Pseudo -- Religiosus amat.

In Delicatum.

Artibus vsq; licet varijs te finge venustum
Comptule, tanto plus totus es horridulus.

In Formosum.

Lis est cum Forma magna Pudicitia. Ouid.

Formosum non esse rerum vix credere possum;
Formoso siquidem Forma dat esse rei.

In Potatores.

Vnus post alium Calices, redeuntq; volantq;
Forfan speratur Passio magna fore.

In Bibulum.

Cū iam nil valeas bĭbere, vltra & adhuc semel in-
Iam duplex Bacchus, cūm Semeli^eus es. (quis,

In Somno, Vinoq; de^{d.}bitum.

Omne malum tibi vis somno Vinoq; leuari,
Sic faciendo, tibi construis omne malum.

In Bibulos Scriptores.

Vos qui Scribitis & bibitis, describite vobis
Quid melius sapiat, Scribere vel bibere?

In Can:

In Cantores.

Cantores amant Humores.

Quid præstat plus? Cantores vel Dolia? pleni
Cantant Cantores, Dolia plena tacent.

In molestum Tractatorem.

Esse bonum Vinum dicis, multumq; propinas,
Dum bibitur multum, desinit esse bonum.

In Simulatorem.

Odi ridentem talem, qui ridet & odit.
Non amo mel, plenum fellis amabo minus.

In Mutiũ Scæuolã dissimulantem.

Amissam non flet, combustam Mutius ob non
Occisum Regem non dolet igne manum.
Quam frustra simulat? nullum sentire dolorem
Stat tantum Superis absq; dolore alio.

In Importunum Hospitem.

Quod

Quod rarum carum vulgò profertur ab ore;
Rarior vt venias, gratior Hospes eris.

In Ingeniosum.

Desinè iactari dum diceris ingeniosus,
Ingenio -- dici -- sus Homo nemo cupit.

In Hominem Stolidum.

Nomine dici Homine non est res ardua. Truncus,
Adde Pedes, Caput, & Brachia fiet Homo.

In Hominem Bonum.

Quis neget esse bonu? iuro quod sis bonus. omnes
Transcendentali sunt bonitate boni.

In Hominem Stultum.

Inflat & extollit dicunt Sapia Doctos;
Surgunt indocti; Stultus ybiq; iacet.

In negantes Opera bona.

Facta bonæ Fidei bona non debere docetis.
Vt credam facitis vos bene nil facere.

In Hominem Nanum.

Fronte refers Goliã: Manibus Pedibusq; Davidẽ.
Es David & Goliath? Ens Rationis eris.

In Hominem Vanum.

Præclaram Turrim? Vacuam ne dixeris esse. hac
Mens inclusa manet, non bene composita.

In Zachæum.

Parue Zachæe Sycon festinus scandis in altam,
An magis vt videas, an vidẽ magis?

In suam Staturam breuem.

Corripiunt longam naturã sæpe Poloni,
Ne me corripent, esse brevis volui.

Item.

Malo brevis viuus, quàm longus mortuus esse.

D

In Di.

In Discursuum.

Discursius habetis Homo. Discurrere nam te
Toto Paupertas fecerat Orbe prius.

In Disputantes de Angelis.

Anceps quærit Homo terrarum fixus in imo,
An etiam locus est Spiritui Angelico?
Angelicæ sedes quærat penetrare, videbit
Se potius Punctum præter habere Nihil.

In Philosophum omnia Concedentem.

Pauper Philosophus Concedo sapius inquit,
Quid mihi concedit? Nil nisi Verba mea.

In eundem omnia negantem.

Sola Voce Nego Argumenta soluta manebunt,
Debita nec Magnus soluet Apollo negans.

Doctori Astronomo.

Sint licet errantes Stellæ, Vaga Lumina Cœli,
Hoc tamen à Genio non didicere tuo.

In Astro-

In Astronomum imperitum.

An sint vel non sint errantia Sydera? si sunt,
Errores discunt forsan ab Arte tua?

In Grammaticum sibi contradicentem.

Vrit Grammatici dixerunt, Frigus & Æstus.
Siccine Grammaticos vtraq; Febris habet?

Pòëtis, & Pictoribus.

Pingunt & fingunt Pictores atq; Pòëtæ,
Pingant & fingant ergo sibi & pretium.

Pòëtæ Plaudenti Pugnæ Porcorū.

Pugnæ Porcorum plaudis, pugnare Pòëta
Parcis. Porcorum pascere perge Pecus.

In Insolentem.

Narrantur de te Miracula multa? Caueto.
Nam Sanctissimus Hæc Væ tibi si scierit.

In Hypocritam.

Ieiunas Video, pro Missis soluis, & oras.
Si verè bonus es, fac nihil vt videam.

In Lufores Chartifoliorum.

Ludimus in folijs, in Chartis perdimus. in quo
Tot describemus quæ bona perdidimus?

In Parcum.

Nil vendis, nec emis, nil das, plus accipis? ergo
Nemo tibi grates vnde rependat habet.

In fugientem Delitias.

Ni te Deliciæ fugiant, fugiasq; vicissim?
Non fugis vt fugias, vt capiãre fugis.

In Comptulum.

Turbatos Crines certo ordine pectis, at ipsum
Turbatum magis hoc ordine pecte Caput.

In Senes Auaros.

Crescit Amor Nummi, decrescunt tempora vitæ?
Sic vos non vobis accumulatis Opes.

In Bibulos.

Dum Bibuli incipiunt Bibulis offerre Salutem,
Tunc erit vna Salus nullam sperare Salutem.

In Barbitonforem.

Fac bene, fac pulchrè Tonfor, fac omnia promptè,
Non tamen hoc totum quod potis es facias.

In Medicum.

Non bene fit Medico, dum me bene sentit habere,
Dum mihi non bene fit, tum bene fit Medico.

Infirmo.

Sæpe Manum Medicus tangit, pulsâtq;: Valebis
Tu pulsu Medici, sed magis ille tuo.

In diu differentem Promissa.

Dum Promissa diu differs, promittere debes
Hunc cui promittis viuere posse diu.

Non libenter ieiunantibus.

Sancta quibus constant odio ieiunia, malunt
Mente bona, sed non ventre carere malo.

Volenti ducere Vxorem.

Fæmina Principium est multorum facta malorū,
Viuere tu non vis, hoc sine Principio?

Vxorato.

Duxit ab Inferno quondā Vxorem Orpheus. illuc
Conuenit Vxorem ducere fortè tuam.

In sua Carmina.

Cedro digna puto quod sint mea Carmina. Ce-
Si melius reliquis ardeat Arboribus? (drus

In Zo-

In Zoilum.

Non ego te facio parui. scis Zoile quid sis ?
Scilicet in speculo te recedente quid est;

In Amicum falsum

Dixi Verus Amicus eris. mendacia dixi;
Fallax mendacem me tua vita facit.

In Criticos Censores.

Nil me multorum prohibet reuerentia. Paucis
Carmina quæ sapiunt, idq; bonis, Sapiunt.

De seipso.

Rumor ait me displicuisse, quid inde ? Pòetas
Omnes vaniloquos rumor inanis ait.

Valedictio Mundo.

Non bene Munde vales, melius vis Munde valere?
Dico ex parte mea Millia Mille Vale.

Ebrijs.

Ebrijs.

Proh quanta est vestri in vobis reuerentia Bacchi?
Illum deuotè dum caditis colitis?

Quæsitum.

Dic quæ Progenies toto Veneratur in Orbe?
Dissimilis Matri, dissimilisq; Patri?

Disputātes Iudæi cum Stephano.

Obijciunt lapides victi ratione Iudæi,
His Argumentis Stephanus occubuit.

Ius, Anagramma, vis.

Hic probat, ille negat, quid Iudex iudicet? v ni
Si vim non faciet quomodo ius faciet?

Ab Amico litteras exostulando.

Quod mihi nil scribas, nihil occurrit tibi dicis,
Possibile occurrat quod tibi nulla dies?

Quatuor Nouissima.

Infernus cruciat, delectat Gloria Cœli,
Mortem & Iudicium Vîta peracta timeret.
Hæc quatuor memori tibi mente Nouissima vol-
Compesces sensus illico quinq; tuos. (uens

Eleemosynario.

Te quàm sis largus volo paucis dicere: lætus
Pauper adit, nunquam tristis abire solet.

Beatius est dare quam accipere.

Actorum. 20.

Conditio melior dantis, non accipientis.
Accipis & nil das? vtilitas melior.

Quæsitum.

Dic vbi viuentes vna fuerant duo vitâ, &
Vno spirantes ore fuêre duo?

Vt ameris amabilis esto.

E

A me

A me si quis vult vt ametur, amabilis esto,
Nempè Deum solùm quando timetur, amo.

**Lingua illæsa S. Antonij, Cor-
pore resoluto in Cineres.**

Illæsa Antonî post mortem Lingua remansit,
Hanc sale conditam credo fuisse sacro.

Diluuium & Vinum.

Olim Diluuiio periëre Homines, Pecudesq;,
Nunc vero pereunt vt Pecudes, Homines.

Lafarus Epuloni post Mortem.

Infelix Epulo cum sic lacereris in Orco,
Quàm cuperes Vitam nunc habuisse meam.

Patria.

Est Pater in Cœlis, & Mater Terra vocatur,
Non vbi Mater, vbi est, sed Pater, est Patria.

Patria Authoris.

Russia me genuit, docuit Ferraria, post hac
Styria sustinuit, rursus me Russia cernit:

Libellus de seipso.

Obscurus non sum, sed si quis postulat vt sim,
Obscurus noctu quilibet esse potest.

In Inuidum.

Inuidet, ediderit si quis sua Carmina. si quid
Accipit, o quantam tunc habet Inuidiam?

Qui cito dat, bis dat.

Qui cito dat bis dat, cito qui negat, ergo negat bis,
Seu das, siue negas, si cito, gratior es.

Natura trahit ad sua iura.

Ad sua iura trahit non me Natura, sed illam
Viribus ex totis ad mea iura traho.

In Vxoratum.

Esto tale Caput Mulieri, si sapis, illa
Ut sibi non aliud quærat habere Caput?

Ferrea Sæcula.

Ferrea feruenti feruent tunc Sæcula ferro,
Ferreus est quisquis feruet amore sui.

Exceptio.

Ferrea Cuncta licet sint nostro tempore, nullus
Ferreus est quisquis feruet amore Dei.

Spes non amittenda.

Omnia si perdas, saccum seruare memento,
Quem (licet ingentem) posse replere puta.

Desperatio.

Desperatio fit de Spe - ratione carendo.

Spes.

Coelum speramus, peccando Viuimus. & sic
Peccando sperans non bene sperat homo.

Fides,

Fides, Spes, Charitas.

Creditur in Cœlo nil, nec speratur in illo,
Hic quod creditur, & speratur, amatur in illo!

Religiosus.

Cella mihi tanquam Cœlum dum viuo videtur,
Post mortem Cœlum Cella perennis erit.

De Sancto Ludouico: ad Patrem Ludouicum.

Lusus erat facilis Ludouico Vincere Mundum,
Lusus erat sanctus Ludificare Deo.
An magis est Ludouicus, Ludificusue vocandus?
Hoc Ludouice tuum sit penes ingenium.

Patri Georgio Iconem Sancti Georgij contemplanti.

Cernis vt horribilem visu, tetrumq; Draconem
Impauido sternit pectore Sanctus Eques?

O te felicem nimium taliq; Georgi
Dignum Patrono, quem pietate colis?
Hoc Duce Viue diu, tutus contemne Draconem,
Dextrâ Patroni concidit ille tui.
Et postquâ innumeros tutus compleueris Annos,
Annos æternos tutior incipias.

Patri Leoni.

Dictus es Vnde Leo nemo nescit, quia quo plus
Hic feritatis habet, plus rationis habes.

Patri Bonauenturæ.

Et bene Ventura & præsentia Tempora Patri
Sint Bonauenturæ prospera semper, Amen.

Patri Augustino.

Non tibi dono meum Pater Augustine libellam,
Cui iam sit natus non eget ille Patre.

Patri Concionatori.

Concio tota placet mihi, sed non Concio longa.

Patri

Patri Magistro.

Ter magis inter Discipulos bonus esto Magister!

Patri Lectori.

Non iacet in molli Veneranda scientia Lecto,
In Molli LectoR cur Venerande iaces ?

Sacerdoti & Præfatione Missæ.

Finiat vt Missam, cantet sine Fine Sacerdos.

Principium Mortalis & Immor- talis vitæ.

Nasci Prineipium Vitæ Mortalis. Origo
Vitæ Immortalis, Prineipiumq; Mori.

Surgite Mortui ad Iudicium.

Surgere ne timeas ad Iudicium, siquidem ille
Non male tunc surget, non male qui iacuit!

Epitaphium.

Conditus

Conditus hic iaceo, nequeo mea verba viator
Dicere, tu pro me Dirige verba tua.

Mors Medicorum.

Pulvere dat Vitam Medicus, fit Pulvis & ipse,
Mors igitur Medicos enecat arte sua.

Mors Logici.

Definit Vitam Logicus, Mors diuidit illam,
Recto concludunt hanc bene Facta modo!

Mors Grammatici.

Quinto prima caret Casu Persona, sed omnes
Æquali casu Mors Reuerenda vocat.

Mors Musici.

Cantabat Requiem. tandem requieuit & ipse,
Quæ Cantas alijs, illa canent alijs.

Pòëtis.

Pòëtæ nascuntur.

Quomodo

Quomodo nascuntur? Pueri sunt forte Pòetæ?
Absit. nascuntur, non moriuntur id est.

Oratoribus.

Oratores fiunt.

Omnia sunt facta. Oratores quomodo fiunt?
Dum sunt in fieri, non fieri poterunt.

Pluuiam postulántibus.

Astra pluent, primum lumina vestra pluant.

Pluuia congruens.

Non bene si nunquã pluat, assiduoue; probatur:
Non bene si nunquam, continuoue bibam.

Anagramma Oueni.

Joannes Audòenus. Ad Annos Nòè Uives.

Vixisti citius moriturus Oueⁿe Noèmo,
Fallax ergo tui Nominis Omen habes.

F

Verba

Verba prout sonant accipienda.

Accipienda prout sunt Verba sonantia verè,
Hoc est; vt sonitus ne feriant pereant.

Sapiens nil facit inuitus.

Nil facit inuitus sapiens: inuita Minerua
Nil facit. in vita nil facis? ergo sapis?

Licentia Pòética.

Omnibus est licitum Pictoribus atq; Pòëtis,
Quodlibet ad libitum fingere, non facere.

Ex Oueno.

Terra si staret caderet, quid facit ergo? iacet.

Contra.

Terram ne caderet scripsisti Ouene iacentem,
Si iacet? ergo te iudice iam cecidit.

Orator.

Dulciter

Dulciter ore sonas Orator gratus habetur,
Gratior at multo dulciter ære sonans.

Honor.

Italus Hò profert, aliquid dum dicit habere,
Germanus stultum Nòr vocat, & fit Honor!
Sic est, Diuitias si quis videatur habere,
Quamuis Nor sit, ei fit tamen omnis Honor.

Theologus & Medicus.

Me curat Medicus, Medicum curabo vicissim,
Corporis & Mentis non penes integritas.

Cuncta petentes.

Rectè Cuncta petendo vocamur cuncta-petētes,
Illeq; Cuncta potest, qui dare Cuncti-potens.

Iurista.

Tempus non habeo, queritur Iurista, Vacandi,
Non queritur, gaudet tempus habere bonum.

Magnus Paruo.

Corpore tam paruo creuisti? dic mihi quantus
Ex vtero Matris Pusio natus eras?

Paruus Magno Respondet.

Et Parui, & Magni metam properamus ad vnam,
Post tua Fata Cinis dic mihi quantus eris?

Somnium & Mors.

Somnia quæ facimus referunt hæc omnia noctu,
Et Mors omnia quæ fecimus hæc referet.

Adam & Eua.

Deceptus peccauit Adam, peccauit & Eua,
Hæc prius, ast Adam Nobilitate prior.

Venus.

O Venus? ô Astrum Cœli? dominabitur Astris
Omnibus ille, tui qui fuerit dominitor.

Oculi.

Oculi.

O Oculos in Amore Duces? certamine primos?
Si non victores? Mortiferos oculos.

Quos ego. Sed motos praestat componere sensus,
Quod fecit, facerem, Lucia Virgo libens.

Lingua.

Lingua loqui prompta est, & saepe parata tacere,
Si facit hoc iusto tempore? lingua sapit.

Aures et Manus.

Da: nolunt Aures audire, sed accipe. non sunt
Aures in causa forte: quid ergo? Manus.

Boues.

Cornuti Boues iactant sua Cornua: quid tum?
Et pro Corniferis funifer est Lanio.

Gallus.

Omnes perturbat noctu, inclamatq; iacentes
Gallus, surgentes qui fugit & pueros.

Leo.

Cantabit Gallus quantumuis ante Leonem,
Sed tamen occursum nullius ille timet.

Vulpes.

Sum Vulpes astuta, sed est astutior illa
Quam seruant Homines pectore sub Vapido,

Femina et Virtus.

Feminei generis Virtutem colligo. distat
A Virtute tamen Femina plus genere.

Lutherus.

Sic ad Lutherum multi properare videntur,
Ad lutum Rana vt properare vides.

Author produxit lūtum in gratiam Luti - Ranarū.

Item.

Ad partem læsam concurrunt vndiq; morbi,
Sic ad Lutherum sex mala tota fluit.

In sua Carmina non diu duratura.

Nil mirum paucos versus cito posse perire,
Si plures Fabios abstulit vna dies?

Placentius ad Authorem.

Et tua lecturi Benedicte Epigrammata dicent,
O aptum pro te Nomen & Ingenium?

Veronensis in Authorem.

Hæc tua lecturi Benedicite Epigrammata dicent,
O quantum distat Nomen ab Ingenio?

In Zoilum.

Nec me laudabit nec vituperabit Amicus,
Zoilus hoc vnum, stultus vtrumq; facit.

In Lectorem Balbutientem.

Quos ego non feci errores, fecit typus, & quos
Hic nec dum fecit, tu repetendo facis.

In Magnis et voluisse fat est.

Sum Paruus, voluiq; Epigrammata scribere magna
In Magnis, Paruis & voluisse fat est.

Dignissi.

Dignissimo Reſtori Academiae Zamoscenſis.
D. D. ADRIANO KROBSKI.
Nomine Iuuentutis Academicæ eundem poſt
Electionem Salutantis.

Phæbus es, & Nos Aſtra ſumus, dictura Salutem
Ad Solem veniunt Aſtra Minora ſuum.

Author Eidem.

Reſtor es, Electo Cæli formoſior Aſtro,
Hoc procul à Terra eſt, tu procul à maculis.


Finis.


Muſa Vale, luſi meus vt me iuſſit Apollo,
Ludere cenſetur quis ſine Fine bene?

A. R. P. MARIANO KORYBSKI.


*Velle Tuum paruo Nomen celebraſſe libello,
Non fuit exigui crede laboris opus.*


*In Nuce qui magnum quondã celebrauit Homerũ,
Scriptiſſe in folijs dicitur exiguis.*





6440
25





6443

25

